

senioribus, doctoribus facultatis theologicæ cum reciproca receptione suarum reversalium prestandarum facultati<sup>1)</sup> artium tradantur. Quod ego Paulus decanus sexta feria duodecima<sup>2)</sup> mensis Octobris ita effeci et in effectum perduxi presentibus dominis magistris Magno Hunth Magdeburgensi, Georgio Meyningensi, Martino Hirsbergensi et Bartholdo de Ganderßheim in stuba domini doctoris Iohannis de Haynis, decani ecclesie Misnensis, assidente<sup>3)</sup> domino doctore Matheo de Premßlavia. Oct. 12.

Tertio fuit conclusum, quod littere capitales super censibus et debitis facultatis artium per notarium transcribantur in unum specialem librum, qui semper sit in manu decani, ut non sit semper opus originales ex fisco requirere, quod et factum est<sup>4)</sup>. Alia conclusa in libro bapireo copiose inveniuntur.

C 17. \* Anno, quo supra, tertia feria post Francisci octava Octobris convocati fuerunt magistri de consilio facultatis artium sub hoc tenore: „Reverende magister, sitis hora undecima in stuba facultatis ad videndum presentari baccalarios sub pena non contradicendi, item mox post ad interloquendum super petitione duorum magistrorum petentium ingressum ad consilium facultatis, et si placuerit, ad audiendum vel recipiendum alterum ipsorum, sub pena non contradicendi, et sicut diligitis bonum facultatis.“ Oct. 8.

Conclusum fuit concorditer, quod quia infra biduum deberet eligi novus decanus, ne huic per assumptionem alicuius eorum de eadem natione preiudicaretur, deberet res differri usque post electionem novi decani. Extunc in prima eiusdem convocacione habenda proxima secunda feria sequenti alter eorum, qui iuxta reformationem novissimam illustrissimi principis ducis Georgii complevisset, deberet assumi.\*

Arma magistri Pauli Svoffheyms Gorlitzensis.

### 1504 Wintersemester. 191. Decan Georg Dottanius von Meiningen.

M 185'. Decanatus magistri Georgii Dottanii Meyningensis, sacre theologie baccalarii formati, anno<sup>5)</sup> domini millesimo quingentesimo quinto [!]. Anno domini millesimo quingentesimo quarto Sabbato ante festum sancti Galli confessoris, duodecima mensis Octobris die, electus fuit in decanum facultatis arcium magister Georgius Dottanius Meyningensis, sacre theologie baccalarius formatus, sub cuius decanatu electi fuerunt subscripti officiales: Oct. 12.

Clavigeri mgr.	{	Michael Raw Lipsiensis	}	de natione	{	Mißnensium	}	
		Gregorius Konitz				Polonorum.		
Visitatores	{	Melchiar Ludowici de Freynstat Polonus	}		}	electores	}	
		Bartholdus de Ganderßhem Saxo				decani et		
		Ludowicus Schneider de Gorlitz Mißnensis				executores.		
		Georgius Dottanius Meyningensis Bavarus decanus						

Anno, quo supra, die decima quarta mensis Octobris assumptus est in consilium facultatis arcium mgr. Leonhardus Mertz de Sancto Gallo servatis statutis, principis reformatione et concluso in fine proxime precedentis decanatus scripto. Oct. 14.

<sup>1)</sup> C liest anstatt facultati artium: nobis. <sup>2)</sup> Der 12. October fiel auf Sonnabend, nicht auf Freitag. <sup>3)</sup> presente. <sup>4)</sup> C setzt hinzu salvo salario. <sup>5)</sup> Anstatt der Jahresangabe schreibt C de natione Bavarorum.